



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VI. De ministro Sacramentorum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Ad secundam probationem, nego sequelam: A
Cum enim in illo casu Deus præsupponeretur determinatus à se ipso ad volendum conferre infallibiliter gratiam, in præsentia signi ab ipsa creatura instituendi ipsamque creaturam ad talem institutionem faciendam prædeterminaret, jam non Deus à creatura, sed creatura à Deo, in institutione illa determinaretur.

Obijcies secundò eum Vazque: Potestas instituendi propriè sacramenta, ei solum convenit, à quo oritur primum sacramenti decretum: Sed primum sacramenti decretum, à solo Deo potest manare: Ergo illi soli potest convenire potestas instituendi sacramenta. Minor constat, Major vero probatur à Vazque, quia instituere (inquit) idem est quod rem aliquam incipere, & ab initio quasi statuere & deservere.

Respondeo concessa Majori, distinguendo Minorem. Primum sacramenti decretum in genere causæ principalis, propria & suprema autoritate instituentis sacramentum, est à solo Deo, concedo Minorem. Primum sacramenti decretum, in genere causæ ministerialis, ex commissione divina instituentis sacramentum, nego Minorem, & Consequentiam. Certè, si argumentum Vazquis valeret, probaret etiam homines non posse dici verè & propriè conditores legum Civilium aut Ecclesiasticarum, quandoquidem æquè dici potest, primum illarum decretum emanare à solo Deo, ac primum decretum sacramenti.

Obijcies tertio: Iustificatio impij, est quid majus, quàm creatio cæli & terræ, ut docet Augustinus Tractatu 72. in Ioan. Sed Christus non potuit communicare Discipulis vim creandi cælum & terram: Ergo neque vim iustificandi impij, ne per consequens illis committi institutio sacramentorum, cum per illa peccatores iustificentur.

Respondeo ex D. Thomæ 1. 2. quæst. 113. art. 9. quod licet ex parte facti sit quid majus iustificatio quàm creatio, quia hæc terminatur ad esse naturale, illa ad formam supernaturalem; tamen ex parte modis, excedit creatio, & est maximum opus Dei, quia ex nihilo fit aliquid: ex quo sequitur, quod licet possint dari instrumenta physica ad infusionem gratiæ, & iustificationem impij, nimirum sacramenta, repugnet tamen, juxta doctrinam D. Thomæ 1. parte quæst. 45. art. 5. quod detur instrumentum physicum creationis.

Obijcies quartò contra secundam conclusionem: Potestas excellentiæ convenit Christo, ratione unionis hypostaticæ: Ergo non potest communicari puræ creaturæ.

Respondeo concessa Antecedente, distinguendo Consequens. Non potest communicari creaturæ, cum ea eminentia & perfectione quæ fuit in Christo, concedo. Modo imperfectiori, nego. Solutio patet ex suprà dictis, licet enim pura creatura non possit esse instrumentum conjunctum divinitatis, nec influere infinitum valorem meritum, & satisfactorium in suas operationes, sicut Christus: quia tamen puro homini potuit communicari tanta gratia, ut mereretur de condigno virtutem & effectum sacramentorum, & institui caput morale cæterorum hominum, potuit ipsi communicari, modo tamen imperfectiori, ea potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo ad instituenda sacramenta, & iustificandos alios homines.

Tom. V.

DISPUTATIO VI.

De Ministro Sacramentorum.

Ad sex ultimos articulos quæst. 64.

Consideratâ causâ efficiente principali, quæ sacramenta instituit, scilicet Christo, superest ut de causâ ministeriali, quæ ea confert, & dispensat, differamus, & plures ac graves, quæ circa sacramentorum ministros occurrunt difficultates, articulis sequentibus resolvamus.

ARTICULUS I.

Quinam sint Sacramentorum ministri?

Scotus in 4. dist. 6. quæst. 1. affirmat Angelos, etiam de lege ordinaria, posse esse sacramentorum ministros. E contra Augustinus Bernal disp. 17. sect. 1. num. 15. ait, quod licet Angeli de potentia extraordinaria possint sacramenta administrare, non tamen ea conficere. Alii verò Theologi communiter docent, Angelos posse quidem de potentia absoluta sacramenta conficere & administrare, solos tamen homines esse ordinarios sacramentorum ministros. Verum cum homines in duplici statu considerari possint, nimirum in statu viæ, & termini, seu beatitudinis, adhuc est difficultas & controversia inter Theologos, utrum non solum homines viatores, sed etiam beati & comprehensores, sint de potentia Dei ordinaria, five ex vi institutionis Christi, idonei sacramentorum ministri, ita ut si in corpore assumpto apparerent, vel miraculosè resurgerent, absque novo miraculo, sacramenta ministrare possent? In cuius difficultatis resolutione, partem negativam tenent Alensis, Cabrera, Coninck, Vazquez, Delugo, Becanus, & alii. Affirmativam verò amplectuntur ex Thomistis Soro, Sylvester, Nunno, Martinus Ledesma, Philippus à Sancta Trinitate, Martinez à Prado, & ex extraneis Suarez, Henriquez, Diana, & plures alii.

§. I.

Triplici conclusione difficultas proposita resolvitur.

Dico primò: De lege ordinaria soli homines, & non Angeli, sunt sacramentorum ministri. Ita D. Thomas hic art. 7. ubi hanc conclusionem probat in argumento *sed contra*, ex illo ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum: Sed Angeli boni vel mali non sunt ex hominibus: Ergo ipsi non constituuntur ministri in his, quæ sunt ad Deum, id est in sacramentis.* Unde Chrysostomus libro 3. de sacerdotio: *His, qui terram incolunt, atque in ea versantur, commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: quacunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.*

Ratio à priori hujus conclusionis nulla alia assignatur.

M ij

gnati

gnati potest, nisi voluntas Dei, & Christi, congruentia tamen non desunt. Nam in primis minister minus principalis sacramentorum, non debet esse superior in natura ministro magis principali, hoc enim esset indecens: Christo autem ut homini, qui ut talis est minister principalis sacramentorum, Angelus est superior in natura. Secundo, Sacramentum constat ex re sensibili, & re spiritali: Ergo conveniens fuit, quod illius minister sensum & intellectum haberet: talis autem est solus homo. Tertiò, Recipiens sacramentum est solus homo: Ergo ut servaretur proportio, debuit solus homo in ministrum sacramentorum institui. Denique, Sicut in sacramentis requiritur pro materia aqua naturalis, oleum, balsamum, & vinum naturale, sic etiam congruū fuit, quod requireretur naturalis locutio, & verborum prolatio, quæ tamen est Angelis impossibilis, ut pote cum sit actio vitalis procedens à principio intrinseco; locutio verò ab Angelis formata, mediis corporibus assumptis, sit ab ipsis Angelis solum extrinsecus assistentibus ejusmodi corporibus.

4. Dico secundò: De potentia & lege extraordinaria, Angeli possunt sacramenta conficere, & administrare. Ita D. Thomas articulo citato in corpore, ubi sic ait: *Sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesie ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis.* Et in 4. sentent. dist. 5. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2. *Sicut Deus potentiam suam sacramentis non alligavit, ita nec potestatem consecrandi sacramenta alligavit aliquibus ministris, unde qui dedit hanc potestatem hominibus, potest dare & Angelis.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit.

5. Potestque confirmari ex variis historiis, quibus Angelos sacramenta administrasse & conficisse refertur. Sanctum enim Onuphrium Anachoretam, ab Angelo Eucharistiam accipere solitum dominico quoque die, ex Paphnutio Abbate, teste oculari, referunt Sabellicus lib. 2. cap. 2. Volaterranus lib. 17. & passim alii. Item Clemens VIII. in Bulla beatificationis beatæ Agnetis de monte Politiano, Ordinis Prædicatorum, datâ 23. Februarii anni 1601. testatur quod sæpius eidem Angelus Eucharistiam suâ manu porrexit. Ipsos etiam sacram synaxim sæpius B. Catharinæ Senensis administrasse refert D. Antonius 3. p. Chron. titulo 23. cap. 14. §. 8. & alii passim. Narrat etiam Nicephorus libro II. historiæ Ecclesiasticæ cap. 20. S. Amphilochem in deserto ab Angelis fuisse consecratum in Episcopum, ejusque consecrationem ratam à cæteris Episcopis habitam fuisse. Plura etiam templa dicuntur Angelorum, vel etiam ipsius Christi Domini ministerio consecrata. Specialiter templum in honorem B. Michaelis in monte Gargano constructum, & aliud in honorem S. Dionysii in Gallia prope Parisios erectum: de quo Gaguinus lib. 3. cap. 2. & 3. hæc scribit. *Episcopi B. Dionysii sanum à Dagoberto Rege structum dedicare 6. Calendas Martii statuerant. Prædie Calendarum quidam leprâ admodum deformat, ab editu impetravit in ade pernoctare. Ubi dum vigil in oratione perseverat, videt perspicue Christum, comitantibus eum Petro & Paulo, unâ cum Divis martyribus Dionysio, Rustico, & Eleutherio, per fenestram in basilicam adventare. Ergo candelâ vestram ad leprâ contaminatum progressus Christus: Tu inquit, homo dicitur Pontificibus, cum crastina ad hanc adem se conferent, eam à me consecratam. Cujus rei fidem fecit infirmi hominis cura, nam contactâ hominis facie, lepram omnem Christum auferens, eam proximo lapidi agglutinavit: quâ hanc usque diem, per summam admirationem vigetur. Quo miraculo attoniti Præfules, à dedicatione abstinerunt.*

A stram in basilicam adventare. Ergo candelâ vestram ad leprâ contaminatum progressus Christus: Tu inquit, homo dicitur Pontificibus, cum crastina ad hanc adem se conferent, eam à me consecratam. Cujus rei fidem fecit infirmi hominis cura, nam contactâ hominis facie, lepram omnem Christum auferens, eam proximo lapidi agglutinavit: quâ hanc usque diem, per summam admirationem vigetur. Quo miraculo attoniti Præfules, à dedicatione abstinerunt.

Dico tertiò: Homo, etiam comprehensor, sive beatus, est de lege Dei ordinaria, sive ex institutionis Christi, absque ulla alia conditione nova, minister idoneus sacramentorum, licet solum extraordinarius.

Hanc conclusionem apertè supponit D. Thomas eodem art. 7. citato: cum enim in secundo argumento sibi objecisset, quod homines sancti assimilantur Angelis in celo, ut dicitur Matthæi 22. Sed aliqui sancti in celo existentes possunt ministrare in sacramentis, quia character sacramentalis est indelebilis, ut dixerat art. 5. Ergo etiam Angeli. Respondet ad secundum, quod sancti qui sunt in celo sunt similes Angelis quantum ad participationem gloria, non autem quantum ad conditionem naturæ, & per consequens neque quantum ad sacramenta. Ubi S. Thomas non negat, nec permittit transire Minorem, tanquam nullam facientem ad vim argumenti, sed eam absolute concedit, utpotè conformem rationi præcipue oculi, & dicti art. 5. Ergo censet, sanctos in celo existentes, posse de lege Dei ordinaria, sive ex institutionis Christi, absque ulla alia nova conditione, ministrare sacramenta.

Ratio etiam id suadet: Homo enim, licet comprehensor & beatus, habet characterem, cum ille sit indelebilis, & post hanc vitam remaneat, ut disp. præcedenti ostendimus, & miraculose ressumendo corpus, potest adhibere omnia ad valorem sacramenti essentialiter requisita, nimirum debitam materiam, & formam, & habere institutionem faciendi quod facit Ecclesia: Sed hæc conditiones sufficiunt, ut de potentia ordinaria, sive ex vi institutionis Christi, possit administrare idoneè sacramenta: Ergo dato miraculo, quo beatus assumeret corpus, postea, potestate ordinatâ, absque ullo novo miraculo, esset idoneus sacramentorum minister. Major patet, Minor verò suadetur. Licet enim ut quis sit minister ordinarius, præter conditiones assignatas, requiratur minister per quod sit viator, utpote cum ob necessitatem sacramentorum, ejus conversatio debeat esse ordinaria nobiscum, hæc tamen conditio non videtur necessaria in ministro extraordinario, aliâ ratione esset differentia inter ordinarium & extraordinarium sacramentorum ministrum, beatus autem si resumeret corpus, diceretur minister sacramentorum extraordinarius, non quod tunc illi opus esset ad ministranda sacramenta potentia Dei extraordinaria, sed quia soli viatores ordinariè conficiunt sacramenta: Ergo &c.

Confirmatur: Scriptura, Concilia, & Patres loquentes de institutione hominum in ministrum sacramentorum, facta à Christo, nullam præter mentionem faciunt conditionis status viæ: Ergo cum aliunde non videatur necessaria, dicendum de facto non fuisse appositam à Christo, & consequenter beatos posse ex vi institutionis Christi validè administrare sacramenta.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem nullum militat argumentum alicujus momenti, sed contra secundam obijciuntur Sacramenta nove legis essentialiter constant rebus & verbis, ut disputatione ostensum est. Sed verba ab Angelis in corporibus assumptis prolata, non essent vera verba, cum Angeli in corporibus assumptis non possint verè loqui, ut docet D. Thomas 1. parte quæst. 51. art. 3. ad 4. sed solum formare sonos in aëre, similes vocibus humanis, qui tamen, cum non sint à principio intrinseco, non sunt veræ voces: Ergo Angeli, etiam de potentia & lege extraordinaria, non possunt sacramenta conficere.

Propter hoc argumentum Cabrera & Nunno existimant sacramentum quod de lege & potentia extraordinaria ab Angelo vel anima separata conficeretur, licet foret verum sacramentum, non tamen ejusdem rationis substantialis cum nostris, utpote cum verba ab Angelo vel anima separata prolata, non sint vera verba. Sed existimo cum Soto & Martinez à Prado, quod tale sacramentum esset ejusdem speciei cum nostris, quia licet verba prolata ab Angelo in corpore assumpto, sint speciei diversa ab illis quæ homines proferunt, hæc tamen diversitas materialiter & per accidens se habet ad rationem signi sensibilis, subindeque ad rationem sacramenti, quia illi sunt sensibiles, licet non sint à principio intrinseco vitali, habent tamen eandem significationem, subindeque eandem virtutem gratiæ productivam, quam habent nostræ voces sacramentales. Unde in forma ad argumentum respondeo, distinguendo Majorem: Sacramenta nove legis essentialiter constant rebus & verbis, ut vitaliter prolatis à ministro, nego Majorem. Ut significativis, seu ut habentibus rationem signi sensibilis gratiæ sanctificantis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Verba ab Angelis in corporibus assumptis prolata, non sunt vera verba, si per ly vera, intelligantur verba verè vitalia, seu vitaliter prolata, concedo Minorem. Si per ly vera verba, intelligantur verba verè significativa, nego Minorem & Consequentiam: Hæc enim verba, *Ego te baptizo*, ab Angelo in corpore assumpto prolata, non minùs verè interiori animæ absolutionem significant, subindeque non minùs habent rationem signi sensibilis gratiæ, & per consequens sacramenti, quam cum ab homine proferuntur.

Obijciuntur secundò contra tertiam conclusionem: Christus suâ institutione designans ministros sacramentorum, solos viatores alloquebatur: Ergo soli viatores sunt ex vi institutionis Christi, ministri idonei sacramentorum.

Secundò, Soli homines viatores sunt secundum legem ordinariam capaces recipiendi sacramenta. Ergo & illa conficiendi & administrandi.

Tertiò, Cum sacramenta pertineant ad Ecclesiam militantem, illi solum sunt ministri idonei ipsorum, ex vi institutionis Christi, qui pertinent ad Ecclesiam militantem: At beati non pertinent ad Ecclesiam militantem, sed ad triumphantem: Ergo non sunt ministri idonei sacramentorum, ex vi institutionis Christi.

Quartò, Si aliquis ex summis Pontificibus mortuus, & beatus, resurgeret, nullam haberet

Tom. V.

A potestatem jurisdictionis in Ecclesiam, aliàs essent simul in ipsa plures Summi pontifices: Ergò neque potestatem Ordinis, sive administrandi sacramenta.

Denique, ex nostra doctrina sequitur sacerdotem in inferno existentem cum anima & corpore, habere potestatem, si adessent ibi panis & vinum, illa transubstantiandi in corpus & sanguinè Christi, quod tamen non debet admitti; aliàs enim si id posset, præstaret utique, dæmone ille panem & vinum in divisionem Dei & sacramenti portigente; imò eadem ratione possent in inferno ordinari sacerdotes, à damnatis Episcopis.

B Ad primam objectionem respondeo, concessio Antecedente, negando Cōsequentiam; licet enim solos viatores alloqueretur Christus, quādo dedit hominibus potestatem sacramenta administrandi, quia eos tantum præsentis habebat, non est tamen unde dicamus, eorum institutionem non fuisse absolutam, sed appositam fuisse conditionem status viæ.

Ad secundam nego etiam Consequentiam & paritatem: disparitas est, quòd recipere sacramenta est proprium illorum in quibus prima gratia debet recipi, vel augeri, quales tamen sunt soli viatores, beati enim habent gratiam in termino suæ consummationis existentem, ac proinde non exigentem ulteriùs aliquid augmentum.

C Ad tertiam dico quod licet beati sint omnino extra Ecclesiam militantem, quoad receptionem sacramentorum, non tamen quoad eorum administrationem.

Ad quartam nego paritatem, disparitas est, quod plures supremæ potestates jurisdictionis obstitant paci & perfectioni regiminis Ecclesiastici, non verò plures potestates Ordinis.

Ad ultimam respondeo quod licet sacerdos damnatus habeat potestatem consecrandi, Deus tamen non sinit quod eam exerceat.

Instant Adversarii: gratis omnino miraculo sam illam divini concursus denegationem asseri in illo casu, longèque probabilius dici, Deum non concedere sacerdoti damnato illam potestatem quā vult eum nunquam uti, quàm miraculosè impedire, ne concessa utatur.

D Respondeo quod si ageretur de nova potestatis illius collatione, in statu damnationis à Deo faciendâ, valeret instantia. Verum cum hæc potestas sit illa eadem quam habebat sacerdos ante mortem, sicut probabilius est dicere dæmonem, etiam in statu damnationis, habere potestatem ad multa, ad quæ tamen Deus ei denegat concursus, quàm asserere quod Deus ei auferat talem potestatem: ita & asserere Deum denegare sacerdoti in corpore & anima apud inferos existenti, concursus ad transubstantiationem panis in corpus Christi, quàm negare ei potentiam ad hunc effectum.

ARTICULUS II.

Virum ad valorem sacramenti requiratur intentio ministri, quâ intendat sacramentum perficere?

Hæresis est Lutheri, in libro de captivitate Babylonica absolutè negantis, ad valorem sacramentorum requiri intentionem ministri, & asserentis sacramentum perfici, si apponantur res, & verba proferantur; tamen à ministro

M iij

joco

joco aut irrisione, vel fictè & mendaciter totum id exterius peragatur. Unde omnes Catholici Doctores fatentur ad valorem sacramenti exigi aliquam intentionem ministri, sed difficultas est, utrum ad valorem sacramenti sufficiat intentio faciendi solum actum externum, vel requiratur necessario intentio faciendi illum ut sacramentalem, id est ut Christus eum instituit, referendo illum ad finem institutionis, & volendo illum quia institutum, & prout institutum?

15. In casus difficultatis resolutione, Catharinus, Salmeronius, Scribonius, Pasqualigus, & alii, quos refert & citat Martinez à Prado hic dubio 7. existimant ad valorem sacramentorum sufficere quod verba modo serio proferantur, prout solet fieri ab Ecclesia, absque alia intentione interna, quam serio proferendi verba, & adhibendi materiam sacramenti. Sententia tamen opposita, asserens ad valorem sacramenti necessariam esse intentionem faciendi sacramentum formaliter, seu ut est quædam cæremonia sacra à Christo instituta, communis est apud Theologos, tam domesticos, quam extraneos, quorum alii Catharini sententiam ut hæreticam, alii ut erroneam, alii verò saltem ut temerariam proscribunt.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Ad valorem sacramenti non sufficit in ministro intentio faciendi solum actum externum, sed requiritur insuper intentio faciendi illum ut sacramentalem.

16. Probatum primò: Concilium Florentinum in decreto unionis, & Tridentinum sess. 7. Can. 11. definiunt ad valorem sacramenti requiri in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Sed quod facit Ecclesia non solum est apponere materiam, & verba exterius proferre, hoc enim extra Ecclesiam fieri potest à pagano, sed his conficere cæremoniæ sacram: Ergo ad valorem sacramenti necessaria est in ministro intentio faciendi sacramentum formaliter.
17. Confirmatur: Concilia citata definiendo requiri ad valorem sacramenti materiam & formam, etiam definiunt requiri voluntatem applicandi materiam, & proferendi verba; actus enim exterior, & volitio illius, pro eodem reputantur: Sed ultra materiam & formam definiunt esse necessariam intentionem ministri: Ergo per talem intentionem, aliquam aliam intelligunt, præter eam quæ ad exteriorem verborum prolationem, & materię applicationem requiritur.
18. Confirmatur ampliùs: Tridentinum sess. 14. c. 6. & Can. 9. definit pœnitentiam non manere absolutum, nec perfici sacramentum, si sacerdos animus serio agendi, & vere absolvendi desit. Ergo ultra exteriorem prolationem verborum, serio quoad exteriùs factam, requiritur interior animus absolvendi, & perficiendi sacramentum.
19. Probatum secundò ex ipsa institutione sacramentorum, in qua inclusa videtur intentio interior faciendi sacramentum: nam Ioan. 20. instituitur pœnitentia, his verbis: *Quorum remiseritis peccata* &c. quibus sacerdotes instituuntur iudices, & ipsis confertur potestas remittendi peccata; atque adeò sacerdos absolvens profert sententiam ut iudex, & peccata remittit: At sententia à iudice prolata sine interiori intentione, valida non est, neque debitum remittitur sine intentio-

A ne interiori remittendi, quamvis exterius seculi proferatur sententia, & debitum dicatur remitti. Ergo ad rationem sacramenti pœnitentiæ, quæ seriâ prolationem verborum, interior intentionem requiritur. Similiter in Eucharistiæ institutione Christus Lucæ 22. dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod sine interiori intentione fieri nequit. Et de Extrema Unctione Iacobi, dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orant super eum*: oratio autem intentionem internam requirit. De Matrimonio etiam constat, nam sine interiori consensu non conficitur, & idem de aliis sacramentis.

B Tertiò suaderi potest conclusio ratione D. Thomæ hic art. 8. Minister potest operari vel nomine proprio, vel nomine Christi, v. g. infantem ablueri, similiter potest verba proferre nomine Christi, aut proprio; nam tam ablutio, quam verborum prolatio, indifferentia sunt, cum utroque modo ponantur. Deinde, actiones exteriores indifferentes sunt ex se, ut sint aliquid merè naturale, & ut sint quid sacramentale: Ergo ponantur utrumque quid sacramentale, debet determinari ab intentione ministri, & consequenter ultra intentionem illa ponendi serio quod exterius, debet adesse alia intentio, nimirum exercendi nomine Christi, ut quid sacramentale.

§. II.

Mens Divi Thomæ aperitur.

Rationi dubitandi de mente D. Thomæ, fundamentum præbent verba quæ habet hic art. 8. ad 2. ubi ait: *Quidam dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit, non perficitur sacramentum*; sed hunc defectum in pœnitentiâ, qui habent intentionem accedendi ad sacramentum, supplet Christus qui interius baptizat, in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides & devotio. Sed hoc solum potest dici quantum ad ultimum effectum qui est pœnitentia à peccatis, sed quantum ad effectum qui est in hoc sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum. Et ideo alii melius dicunt; quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ cum est minister. In verbis autem, quæ proferuntur, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat, ut parte ministri vel recipientis sacramentum. Quibus verbis S. Doctor manifestè videtur docere, ad

E valorem sacramenti non requiri in ministro intentionem faciendi sacramentum formaliter, sed sufficere solam applicationem materię & verborum prolationem. Idem apertius adhuc tradere videtur in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 2. quæstionem ad 2. ubi sic ait: *Alii dicunt quod in Baptismo & in aliis sacramentis, quæ habent in forma actum externum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, & ideo si forma servatur, nec aliud exterius dicitur quod sententiam contrariam exprimat, baptizatus est.*

Propter hæc testimonia Vazquez & Bernald. Doctores attribuant opinionem illam, quæ docet ad valorem sacramenti intentionem ministri non requiri, quapropter huic sententiæ nullam audent infligere censuram.

Nihilominus dicendum est, D. Thomam me-

nifeste stare pro nostra & communi sententia, & aperte docere, intentionem conficiendi sacramentum, ad illius valorem necessariò in ministro requiri.

Pater hoc primò, quia ratio, quam habet hic art. 3. in corp. & quam §. præcedenti expendimus, id aperte declarat.

Secundò, In responsione ad 2. in ipsis verbis pro ratione dubitandi adductis, censet eandem esse rationem, quantum ad necessitatem intentionis, de eo qui ministrat sacramentum, ac de eo qui illud recipit: Sed infra quæst. 68. art. 7. ad 2. ait, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Ergo pariter censet, quod si in ministro deesset intentio conferendi sacramentum, denud debet conferri.

Tertiò, Idem S. Doctor art. 10. hujus quæstionis aperte tradit nostram sententiam, ait enim, quod intentio ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, & talis pervertitus tollit veritatem sacramenti, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Quibus verbis aperte docet, quod licet sit clarius & magis notum, quod non perficitur sacramentum, cum minister exterius manifestat se non habere intentionem, vel exprimit se derisorie agere, tamen si revera mentaliter interius non intendat sacramentum conferre, sed derisorie agere, etiam non valet sacramentum: Ergo sentit sacramentum esse invalidum, si minister mentalem intentionem non habet.

Quartò, Idem Doctor Angelicus supra quæst. 60. art. 7. ad 3. ait, quod ille qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, & ita non videtur perfici sacramentum: Ergo censet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ad perfectionem & valorem sacramenti requiri. Id etiam aperte docet libro 4. sententiarum, variis in locis quæ refert Martinez à Prado hic dubio 7. §. 5. & quæ brevitas causâ prætermittit.

Ad testimonia verò in ratione dubitandi adducta, in quibus Vazquez & Bernal maximam vim faciunt, duplex potest adhiberi solutio. Prima est, D. Thomam ibi non loqui de perfectione sacramenti, quoad rem, sed solum quoad prudentem existimationem, seu quoad humanam & moralem certitudinem; quoniam enim per verba ministri ferè prolata, exprimitur intentio Ecclesie, sumus moraliter certi, ministro intentionem non deficere, subindeque de veritate sacramenti moralem habemus certitudinem, omnem auferentem anxietatem. Quod autem hæc interpretatio legitima sit, & menti S. Doctoris consona, patet ex eo quod ibi solvit argumentum, quod probare intendebat, ex eo quod intentio esset requisita, sequi non posse esse notum accedenti, se verum recepisse sacramentum, & consequenter non poss. habere certitudinem salutis, cum sint quædam sacramenta ad eam obrinendam necessaria. Cui satisfaciunt asserendo intentionem Ecclesie, verbis ministri expressam, satis esse ad certificandum suscipientem de valore sacramenti, eâ certitudine quæ haberi potest, & quæ tantum moralis est, sicut ea quam extra revelationem specialem habere potest homo se esse in gratia Dei.

Dices primò: D. Thomas loquitur de perfectione sacramentali, de qua in titulo articuli quæ-

stiat: At in titulo articuli loquitur & inquit de perfectione essentiali sacramenti: Ergo in solutione ad 2. de hac loquitur, & non de perfectione quantum ad humanam certitudinem.

Secundò, In loco ex libro 4. sententiarum adducto, expresse affirmat non requiri mentalem intentionem ad valorem sacramenti, hac enim exclusâ, asserit dari verum baptismum: Ergo explicatio nulla.

Ad primum respondeo negando Majorem, nam cum difficultas argumenti procederet de incertitudine salutis, in solutione illius loquitur de perfectione sufficienti ad humanam certitudinem.

Ad secundum dicatur non requiri mentalem intentionem ut existat sacramentum, quantum ad certitudinem moralem, omnem anxietatem excludentem, hæc enim de ejus existentia datur, si oppositum exterius non exprimitur.

Secunda solutio seu interpretatio D. Thomæ est, illum locis citatis loqui de intentione mentali expressa & explicita, quam non esse necessariam ad valorem sacramenti affirmat. Pro quo notandum est, duplicem posse dari intentionem, aliam expressam, quâ quis expresse, & quasi in actu signato, intendat conficere sacramenta; aliam implicitam & magis confusam, quâ quis eo ipso quod in actu exercito accedat ut minister Christi & Ecclesie, vult implicite & in confuso sacramentum conficere, quod rectè à Magistro Soto explicatur hoc exemplo. Si quis v.g. suscipit sacros ordines, ut sit sacerdos & minister Ecclesie, & postea consuevit celebrare, & alia administrare sacramenta, neque unquam per actum contrarium cogiter aliter ministrare, quàm intendant Christus & Ecclesia, habet iste quidem intentionem implicitam & in confuso ministrandi sacramenta, non tamen expressam.

De prima ergo negat D. Thomas esse necessariam contra auctores primæ solutionis, & secundam sufficere affirmat, quæ semper præsumitur in ministro, & de qua semper sumus moraliter certi, nisi aliter exterius exprimitur; si autem alia expressa esset necessaria, semper essemus dubii de valore sacramenti. Id & non amplius intendit D. Thomas locis pro ratione dubitandi adductis.

Dices primò: In utroque testimonio D. Thomas solvit secundum argumentum, quod non procedebat de actuali intentione, de hac enim loquitur in solutione ad 3. & longè aliter respondet, nempe sufficere intentionem habitualement, hoc est virtualement: Ergo ineptè à nobis explicatur de intentione actuali. Secundò, ibidem D. Thomas refert opinionem Theologorum requirentium ad valorem sacramenti intentionem mentalem, & ipse oppositum ut probabilius docet: Sed nullus Theologorum requirit intentionem expressam: Ergo D. Thomas non rejicit solam intentionem mentalem explicitam, sed etiam implicitam.

Ad primum respondeo aliud esse intentionem actuale, aliud explicitam, actualis enim potest esse vel implicita vel expressa; & similiter intentio expressa, potest esse vel formalis, vel solum virtualis; unde D. Thomas in testimoniis adductis affirmat expressam, sive formalem, sive virtualement, necessariam non esse: in solutione autem ad 3. requirit ad valorem sacramenti intentionem saltem virtualement, sive expressam, sive confusam.

Ad secundum nego Minorem, cujus nulla potest asserri probatio, si enim dantur Theologi nullam

nullam requirentes intentionem, quid mirum quod tempore D. Thomae essent alii requirentes expressam?

§. III.

Solvitur argumentum ex historia Ecclesiastica desumptum.

27. **A** Necquam difficiliora proponamus argumenta, placet hic breviter illud diluere quod desumitur ex historia Ecclesiastica, quae refert Baptismum datum à puero Athanasio ludente cum aliis pueris, fuisse declaratum validum ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, ut habetur cap. Spiritus Sanctus 1. quaest. 1. ubi sic dicitur: *In Ecclesiastica historia legitur, quod Alexander Episcopus Alexandria cum Petri Martyris sollemniter celebraret, post expleta Missarum sollemnia, vidit super oram maris puerum ludum, imitantium (ut fieri solet) Episcopum, & gerentium ea qua in Ecclesia geri mos est. Mox eos ad se perducit, & quid egissent percontatur. Illi rei ordinem pandunt, baptizatos à se esse quosdam Catechumenos confitentur per Anastasium (legendum est Athanasium, ut legunt emendati codices) puerum, qui illis fuerat Episcopus simulatus. Ubi ex responsis eorum vidit secundum religionis nostrae ritum cuncta constare, statuit illis quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere sed adimpleri ea qua sacerdotibus mos est.* Ex hac historia validum videtur posse confici argumentum, ad probandum intentionem conficiendi sacramentum, ad ejus valorem non requiri: Quoniam non serio sed joco opus externum sacramenti exequitur, non videtur habere intentionem faciendi sacramentum formaliter, sed tantum materialiter, & nihilominus baptismum per jocum à puero Athanasio collatum, ratum & validum fuisse, declaravit Alexander Patriarcha Alexandrinus: Ergo ad valorem sacramenti non requiritur intentio faciendi sacramentum formaliter, sed sufficit intentio proferendi verba, & applicandi materiam.

28. Respondeo dupliciter aliquem posse opus externum sacramenti joco peragere, primo volendo solum repraesentare & fingere quod fit in Ecclesia à sacerdote baptizante, & tunc nullum efficitur sacramentum; secundo intendendo revera facere quod ille facit, quamvis recreationis causa, & in eo casu perficitur sacramentum, sicut in casu quo minister velit baptizare luci causa. Hoc autem secundo modo Athanasius Baptismum suis sodalibus administravit: ut colligitur ex tribus. Primo ex hoc quod interrogatus cur id fecisset? responderit se voluisse agere quod Episcopum Alexandrinum fecisse viderat. Secundo, quia solos Catechumenos atque adeo nondum baptizatos, baptizaverat. Tercio ex eo quod licet Historici narrantes hanc historiam, Athanasium pueris annumerent, certum tamen est quod erat grandiusculus, & aetate plusquam annorum duodecim.

29. Sed contra hanc solutionem obijci potest difficilis instantia desumpta ex alia historia, nimirum D. Genesii Martyris, qui (ut refertur in Martyrologio Romano 25. Augusti) cum esset mimus, & vellet coram Diocletiano mysteriis Christianorum illudere, se agrotum simulavit, & mimicè ab uno ex sodalibus suis baptizari postulat, sed à Deo inspiratus, & repente ad fidem conversus, baptismum suscepit, & pro fide postea mortuus

A est. Ex hac, inquam, historia constare videtur, baptismum mimicè & fictè collatum, fuisse validum praeterim cum Angelus ante absolutionem Genesio apparet, ei promiserit mediā illā aquā remissionem omnium suorum delictorum, quae libro omnia & singula scripta legebantur.

Ut ab hac difficultate facile se expediant Bellarminus, Vazquez, & alii ex Recentioribus, respondent S. Genesium baptizatum fuisse non ab aliquo ex sodalibus suis mimis, sed à vero sacerdote Christiano, qui proinde veram intentionem administrandi tale sacramentum habuit. Verum ut ait Cardinalis Delago, hoc videtur incredibile.

B Quomodo enim sacerdos Christianus veniens absque ingenti sacrilegio ad cooperandum ludicro spe & aculo, quod totum ad derisionem religionis Christianae ordinabatur? Quomodo enim ausus esset coram Imperatore, Christi persecutore acerrimo, se se sacerdotem Christianum mactare? Denique, quomodo impune id fecisset, & pacifice, peracto baptismo, domum rediret? Diocletianus permisisset? Quibus addere, quod Historici probatè fidei referunt S. Genesium baptizatum fuisse ab uno ex sodalibus irridente mysteria Christianorum in theatro, ut ex Suario referunt Baronius tomo 1. historia Ecclesiastica anno 302. num. 27. & Ribadeneira in floribus Sanctorum, die 25. Augusti, in vita S. Genesii.

C Respondet secundo P. Nicolai in additionibus ad Raynerium, verbo Baptismus, cap. 1. §. 7. credibile esse mimos exteriori facere voluisse quod Christiani faciebant, licet joco tacerent, & tamen baptismum contulisse. Sed hoc etiam difficile creditur esse putant aliqui Recentiores. Num nec Christiani ipsi (inquiunt) quando in scenam agunt personam sacerdotis baptizantis, habent veram intentionem baptizandi, aut faciendi quod facit Ecclesia, sed solum repraesentandi & imitandi illud: quanto minus pagani qui Ecclesiam irridebant, existimandus est habuisse intentionem conficiendi verum sacramentum?

D Parum tamen (ut rectè observavit Martinezi Prado) urget hæc replica, imò retorqueri potest in favorem P. Nicolai. Ideo enim Christiani nimirum in scena, quando agunt personam sacerdotis baptizantis, non habent veram baptizandi intentionem, ne rebaptizent jam baptizatos, & sacramenta Christi irrideant. E contra verò Genesius, ut magis irrideret nostra sacramenta, cum ea mimicè in theatro praesentabant, quae Christiani praestare solent, facere intendebant; atque adeo mimus ille qui S. Genesium baptizavit, ut magis Christianorum baptismum irrideret, ipsum baptizare intendebat eo modo quo faciunt Christiani.

E Addo, valde probabile & credibile esse quod aliqui dicunt, nimirum Angelum qui S. Genesium movuit, ut baptismum serio reciperet, eique peccatorum remissionem pollicitus est, admonuisse etiam ludalem suum, ut serio pieque illum ipsi administraret, subindeque tunc nec in administrante, nec in suscipiente defuisset intentionem. Non est etiam improbabile quod alii asserunt, ut ab hac difficultate facilius se expediant, nempe Deum tunc implevisse miraculose intentionem ministris, quocumque sit conditio necessaria & essentialis delegataria, non tamen de potentia absoluta.

S. IV.

Soluntur alia objectiones.

Objicies primò: Cùm Episcopus antequam Ordines conferat, protestetur se nolle ordinare excommunicatum, aut non habentem facultatem à suo Prælatò, non habet intentionem talem ordinandi; & tamen si ad sit inter alios quos Episcopus ordinat, verè ordinatur, ut jura supponunt, quandoquidem decernunt illum suspensum à suo Ordine remanere: Ergo ad valorem sacramenti non requiritur in ministro intentio conferendi sacramentum.

Respondeo quod licet hæc protestatio Episcopis fiat ad terrorem, & ad significandum quod non vult talem ordinare, postquam tamen, facta sufficienti diligentia, nullus talis apparet, intentionem habet, vel saltem habere tenetur, eos omnes ordinandi quos habet præsentem, sive aliqui ex ipsis sint aut non sint excommunicati, & sive habeant vel non habeant facultatem à suo superiore.

Objicies secundò: Sacramentum potest in recipiente habere effectum quem minister non intendat: Ergo & habere rationem sacramenti, licet ipsum ut tale non velit administrare. Consequentia legitima est, Antecedens verò probatur. Hæretici nostri temporis baptizant absque intentione imprimendi characterem, quandoquidem ipsum non admittunt; imò & absque intentione causandi gratiam, quæ sit forma intrinseca, cùm eam etiam negent, & tamen suo baptisinate imprimunt characterem, & producant gratiam: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: Sacramentum potest in recipiente habere effectum quem minister non intendat formaliter & explicitè, bene tamen virtualiter & implicitè, concedo. Quem non intendat, neque formaliter, neque virtualiter, nego. Cùm enim impossibile sit quod aliquis velit causam, nisi virtualiter saltem & implicitè velit effectum, quia effectus implicitè & virtualiter continetur in causa, eo ipso quod hæretici velint causam characteris & gratiæ, scilicet sacramentum legitime administratum, etiam si explicitè nolint ipsum characterem & gratiam intrinsecam, implicitè tamen & virtualiter ea intendunt.

Objicies tertio: Certum est quod sicut Christus instituit sacramenta, ut eorum valor sit independentes à fide & bonitate ministri, ita potuerit ea instituire, ut ad eorum valorem & efficaciam non requireretur in ministro intentio illa formaliter faciendi: Sed hic modus institutionis est convenientior: Ergo dicendum est quod Christus ita de facto illa instituit. Major constat, Minor verò probatur primò, quia Christus sic instituendo sacramenta, magis ostenderet suam virtutem, quæ pravâ intentione ministri non impediretur. Secundò, manifestius esset quod solus Deus est qui principaliter causat effectum sacramenti, juxta suam voluntatem, & quod homines sunt pura instrumenta illius. Tertiò, hic modus institutionis sacramentorum independentem ab intentione ministri quoad suum valorem, valde conducit ad pacandos animos illa suscipientium, sicut è contra oppositus multas anxietates & dubitationes circa salutem ingerit fidelibus: si enim ad valorem sacramenti requiratur in ministro intentio ipsum formaliter ut sacramentum conficiendi, sicut suscipiens sacramentum nunquam poterit esse certus de tali intentione,

Tom. V.

A utpote interna, atque adeò occulta, ita nec de valore sacramenti ab eo suscepti, & consequenter neque de sua salute.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem, conveniens enim fuit valorem sacramentorum dependere ab intentione ministri: Primò propter eorum dignitatem quæ requirit ut non fiant ab homine casu, temerè, & fortuito, sed nobiliori modo; scilicet per actiones verè humanas & cum deliberatione factas. Secundò, propter dignitatem ministrorum, qui cùm sint causæ liberæ, debuerunt assumi à Deo tanquam instrumenta quæ simul moverentur & se liberè moverent ad productionem sacramenti formaliter ut talis. Tertiò, quia alioquin non esset ratio ob quam non assumpsisset Deus ad hoc ministerium quâcumque aliam creaturam, etiam irrationali.

Ad primam autem probationem in contrarium, dicendum est, virtutem Dei & ejus sapientiam magis ostendi in operando fortiter, & disponendo suaviter, movendoque instrumentum animatum, secundum modum suum.

Ad secundam similiter dico, dependentiam sacramentorum ab intentione ministri, illam non extrahere à ratione instrumenti animati, nec proinde rationem causæ principalis à Deo auferre.

Ad tertiam respondeo ad pacandos animos eorum qui sacramenta recipiunt, sufficere certitudinem moralem de intentione ministri, quæ cùm facile ab eo haberi possit, quia non requirit in eo charitatem, vel fidem, nisi minister ipse exterius ostendat se illam, non habere, vel ex aliquo alio signo probabili id possit colligi, non est cur suscipiens sacramentum sit quoad hoc anxius de sua salute, & valida sacramenti susceptione; maxime cùm incertitudo de veritate & effectu ipsius, ex aliis oriri possit, de quibus tamen recipiens sacramentum non est anxius quoad salutem: quod enim valide conferatur sacramentum poenitentiae, pendet non solum ex intentione ministri, sed etiam ex eo quod sit verè baptizatus & ordinatus, atque potestate jurisdictionis insignitus. Item qui in pueritia fuit baptizatus, postquam ad ætatem adultam pervenit, non potest certo scire se esse baptizatum, sed tantum credere parentibus id affirmantibus.

Objicies quartò: Implicat ponere materiam & formam sacramenti, nisi ponatur sacramentum; sicut implicat poni materiam & formam artefacti, nisi ipsum artefactum ponatur: Ergo cùm minister applicat alicui materiam & formam Baptismi, verè ipsum baptizat, & sacramentum conficit, tametsi intentionem non habeat ipsum baptizandi & conficiendi sacramentum.

Respondeo distinguendo Majorem. Implicat ponere materiam & formam sacramenti, formaliter ut tales, seu quatenus sunt quædam cæremoniæ sacræ à Christo institutæ, nisi ponatur sacramentum, concedo Majorem. Implicat ponere materiam & formam sacramenti, materialiter & inesse Entis, & abstrahendo ab hoc quod sint quædam cæremoniæ sacræ à Christo institutæ, nego Majorem. Nam res & verba inesse Entis materialiter non sunt sacramentum, sed ut instituta à Christo, ut sint signa practica gratiæ sanctificantis: unde ut minister sacramentum conficiat, requiritur necessariò quod materiam & formam sacramentorum, sub hac ratione, implicitè saltem & in confuso, ponere intendat: Ad quod sufficit quod intendat facere illud

N

quod

quod facit Ecclesia. Ad exemplum verò de artefacto, quod in argumento adducitur, neganda est paritas. Ratio discriminis est, quia artefactum nihil aliud dicit, quam materiam & formam; sacramentum autem, ultra ablationem & verba, addit esse signum praeiticum gratiae: rationem autem signi gratia in actione exteriori reperiri, dependet à duobus, nempe ab intentione ministri, & à Christi institutione & voluntate, qui noluit materiam, & formam sacramenti, gratiam significare, deficiente intentione ministri.

§. V.

Alia difficultates & casus conscientiae breviter resolvuntur.

41. **R**estant adhuc resolvendae quaedam difficultates de intentione ministri, quas breviter hic expediemus. Prima est, an deficiente intentione ministri ad valorem sacramenti requisitum, Deus suppleat illius defectum, & conferat sine vero sacramento effectum sacramenti: v. g. si minister ex malitia non intendat baptizare puerum, an Deus ex sua infinita misericordia, conferat illi gratiam, sine vero Baptismo?
42. Respondeo negativè, contra Alensem, D. Bonaventuram, Sylvestrum, Paludanum, & alios. Probatur primò ex D. Thoma infra quæst. 68. art. 1. & 73. art. 3. & quodlib. 6. art. 4. ubi distinguens triplex Baptisma, aquæ, spiritus, & sanguinis, docet quod pueri non habentes usum rationis, cum non possint dilectionem Dei habere, in qua Baptismus spiritus seu flaminis consistit, salvari non possunt, nisi per Baptismum aquæ, vel sanguinis, si propter Christum occidantur, qualiter de innocentibus docet D. Augustinus: Ergo sentit quod quotiescunque non suscipitur verum Baptisma, gratia non confertur à Deo, nisi addit Baptismus flaminis vel sanguinis.
43. Id etiam efficaciter probari potest ex lege illa generali Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Ex illa enim evidenter inferitur, quod puer ante usum rationis v. ram Baptisma non recipiens, ex defectu intentionis ministri, non consequetur vitam æternam. Unde Augustinus Epist. 28. ad Hieronymum: *Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur parvuli qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto contra Apostolicam predicationem venit, & totam damnat Ecclesiam.* At hoc esset falsum, si puer ille effectum Baptismi, scilicet gratiam, sine vero Baptismo reciperet: Ergo gratia non confertur à Deo, cum ex defectu intentionis ministri, verum Baptisma non conficitur.
44. Confirmatur: Puer sine debita materia vel forma baptizatus ex malitia vel ex ignorantia ministri, gratiam non recipit, ut omnes concedunt: Ergo nec ille qui sine debita intentione baptizatur. Consequentia manifesta est, nam tam bene deficit sacramentum ex defectu intentionis ministri, sicut ex defectu formæ, vel materiæ, ut definit Florentinum in Decreto unionis, ubi dicitur, omnia sacramenta tribus perfici, nimirum materiâ, formâ, & intentione ministri, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.
45. Dices, D. Thomas hic art. 8. ad 2. oppositam sententiam docere videtur, cum enim ibi retulisset opinionem aliquorum asserentium quod Christus in parvulis supplet defectum intentio-

Anis, & in adultis fides & devotio recipiuntur de hac sententia loquitur: *Sed hoc satis patet in quoad ultimum effectum, qui est justificatio operum, sed quantum ad effectum qui est rei & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non datur quod per devotionem accedens possit suppletur: quia character nunquam imprimitur, nisi per sacramentum: Ergo sentit defectum intentionis haberi, quantum ad effectum gratiae, non quantum ad characterem.*

Respondeo quod licet sententia relata à Thoma, de parvulis & adultis loquatur, & de qua effectum Baptismi, gratia scilicet & character ille tamen solum eam approbat, quantum ad effectum dilectionem & fidem includentem Dei dilectionem, extra sacramentum justificari possunt: quantum autem ad alia, refertur quidem sententia, non approbat.

Secunda difficultas est, quænam intentio sit necessaria ad valorem sacramenti, actualis, habitualis, aut virtualis?

Respondeo breviter, intentionem actus non esse requisitam ad valorem sacramenti, habitalem verò non esse sufficientem, bene tamen virtuales.

Prima pars habetur in Rituali Romano, & docetur à D. Thoma hic art. 8. ad 3. & rationem agnat, quia habere intentionem actualem, non est totaliter positum in hominis potestate, quia prout intentionem cum homo vult multum intendere, magis alia cogitare, secundum illud Psalmi 39. *Cor meum dereliquit me.* Adde quod, actualis intentio est necessaria ad actum humanum & deliberatum, sed sufficit virtualis, ut patet in oratione, & quam, ut sit meritoria, sufficit virtualis intentio, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 84. art. 3.

Quamvis autem hæc intentio non sit necessaria ad valorem sacramenti, studiosius tamen curat debet (inquit S. Doctor) sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat. Quod (ut rectè advertit Cajetanus) non debet intelligi de intentione quæ in actu signato minister dicat, *Ego intendo consecrare sacramentum*, sed de intentione in actu exercito, ita ut postquam minister actum intentionis conficiendum sacramentum habuit, attendat ad ea quibus consistit, nimirum ad distinctam prolationem formæ, ad reverentem correctionem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præsentiam divini gratiæ.

Secunda pars quæ asserit habitalem intentionem ad valorem sacramenti non sufficere, non minus est manifesta quam præcedens; nam habitualis intentio est illa quæ quis aliquid facit ex habitudine, absque advertentia & deliberatione, ut cum quis habens habitum misericordie, nihil de elemosyna cogitans, imò fortè dormiens, pecuniam ponit ubi elemosynæ colliguntur: Sed hoc non sufficit ad valorem sacramenti, cum illius administratione debeat esse actio humana & deliberata. Ergo ad valorem sacramenti intentio habitualis non sufficit.

Dices, Divus Thomas hic art. 8. ad 3. manifestè docet oppositum, ait enim: *quod licet aliquid aliud cogitat non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitalem, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti.* Quo nihil clarius ad expressum contra nostram resolutionem dici posse videtur.

Duplex tamen huic instantiæ potest adhiberi solutio.

In primis dici potest cum Cajetano, D. Thomam ibi loqui de intentione habituali, non distinguitur à virtuali, sed prout differt ab actuali; tum quia id aperte constat ex ipso textu, tum etiam quia tempore D. Thomæ; omnis intentio est actualis, etiam ea quæ virtualis dicitur, vixit solebat habitualis, ut patet ex D. Bonaventuræ in 2. sent. dist. 41. art. 1. quæst. 3. in solutione 6. argumti, ubi *habitualement relationem ad Deum*, sufficere operi meritorio asserit, & subdit: *habitualement relationem dici, non quod habeat charitatem per quam sit habitus ad referendum, sed quia in primis illius operationis, vel alterius ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam*. Ubi Doctor Seraphicus aperte relationem habitualement ad Deum, pro virtuali usurpat, quæ propterea dici habitualis potest, quia per modum alicujus habitus perseverat, licet actum præcedentem supponat.

Secundò respondet Pater Nicolai in scholiis ad art. 8. hujus quæstionis, & in additionibus ad Raynerium, titulo de Baptismo, cap. 1. §. 8. certum sibi videtur, quod non intentionem *habitualement*, sed potius *virtualement*, ibi scripserit S. Thomas, sed propter abbreviatos characteres, qui ex veteri scribendi usu, similem formam præferunt, aut maximam affinitatem inter se habent, imprudenter, vel per oclantiam, vox illa *virtualis*, pro *habitualement* mutata sit. Hujusque mutationis duo indicia manifesta adducit. Primum est, quia exemplaria quædam anni 1540. intentionem *virtualement* legunt, non verò *habitualement*. Secundum, quia S. Doctor non solet habitualement cum virtuali confundere, sed unum ab alio accuratè distinguit, ut patet in quæstionibus disputatis, de charitate art. 11. ad 3. ubi sic habet: *Aliud est habitualement referre in Deum, & aliud virtualiter: habitualement enim refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens; sed virtualiter aliquid referre in Deum, est agentis propter spiritum, ordinantis in Deum*. Et in 4. sent. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quæstionem 2. contritionem ait posse accipi tripliciter, *vel actu, vel habitu, vel modo modo*, scilicet *ex virtute actus quem agit &c.* Et in hac ipsa parte quæst. 87. art. 1. negat *habitualement* dispensationem ad peccatorum venialium remissionem sufficere, sed requiri vult saltem aliquam *virtualement*.

Tertia pars, quæ affirmat ad valorem sacramenti intentionem virtualement sufficere, colligitur ex præcedentibus: nam si habitualis non sufficit, & actualis requisita non est, restat ut virtualis sufficiat. Intentio autem virtualis illa est, quæ licet actu transierit, manet tamen in virtute, ratione primi propositi quo quis se ad agendum applicuit humano modo. Puta cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio alius cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum, ut ait S. Thomas hic art. 8. ad 3. Est etiam aliud vulgare exemplum ejusdem S. Doctoris 3. contra Gentes cap. 138. illius scilicet qui propter Deum iter arripuit, in quo ut ex illa intentione iter perficiat, necessarium non est quod in qualibet parte itineris de Deo actu cogitet.

Sed dubitari potest, an ebrius, vel dormiens, possit conficere sacramentum? Ratio autem dubitandi est, quia ante ebrietatem vel somnum, potuit velle conficere sacramentum, verbis in ebrietate vel somno proferendis, subindeque tunc

Tom. V.

A virtualement intentionem conficiendi sacramentum habere, quæ cum ad valorem sacramenti sufficit, si ille in ebrietate vel somno supra debitam materiam verba proferat, nihil tunc ad valorem sacramenti deesse videtur. Potestque augeri difficultas, nam si quis ante somnum vel ebrietatem baptismum desideret, & postea dormiens aut ebrius baptizetur, recipit sacramentum: Ergo pariter si minister ante ebrietatem vel somnum, sacramentum velit conficere, revera illud conficiet, si in ipsa ebrietate vel somno, supra debitam materiam verba proferat.

54. Nihilominus dicendum est, verba a sacerdote ebrio vel dormiente prolata supra debitam materiam, non conficere verum sacramentum, etsi ante somnum aut ebrietatem, intentionem illud conficiendi habuerit. Ratio hujus resolutionis nulla alia assignari potest quam Christi voluntas, qui licet prolationem verborum voluntariam solum in causa, ad dignitatem sacramenti elevare poterit, id tamen noluit, tum ob reverentiam debitam sacramentis, tum etiam quia oportuit sacramenta confici à ministro, cum morali certitudine materiæ debitæ: in somno autem vel in ebrietate talis certitudo esse nequit, quamvis enim quis ante somnum vel ebrietatem; materiam debitam pro conficiendo sacramento prope se relinqueret, postea tamen in somno existens, aliam posset substituere, & verba supra illam proferre: ob hæc ergo & similia inconvenientia, etsi in somno vel ebrietate possit quis virtualement intentionem conficiendi sacramentum habere, nihilominus sacramentum non conficeret, etsi supra debitam materiam tunc verba proferret. Præsertim quia sacramentum ex parte formæ consistit in verbis quæ formaliter verba sint: illa verò quæ dormiens vel ebrius profert, non sunt verba formaliter, defectu actualis significationis, sed duntaxat materialiter, sicut ea quæ à pica, vel à plittaco proferuntur, ideoque non possunt sacramenta conficere. Ex quo patet disparitas ad exemplum adductum, nam recipiens sacramentum nulla debet verba proferre, bene tamen qui illud conficit vel ministrat: præterquam quod recipiens se habet per modum patientis, ministrans verò vel conficiens sacramentum, per modum agentis: major autem in agente, quam in patiente libertas & advertentia requiritur: unde licet in somno vel ebrietate possit quis verum sacramentum, v. g. baptismum quem antea desideravit, recipere, non tamen illud tunc conficere vel administrare.

55. Tertia difficultas est, an sit verum sacramentum ubi error erga personam cui confertur intervenit? v. g. dum putat aliquis se baptizare puerum, & nomen Petri illi imponit, & baptizat puellam, queritur an tunc verum sacramentum conficiat? Videtur enim quod non, ob defectum intentionis, non enim habuit intentionem baptizandi puellam, sed puerum.

56. Huic difficultati cum distinctione respondendum est, nam vel minister ita alligavit intentionem suam, ut non intendat conferre Baptismum, nisi tali individuo, puero v. g. & tunc si alius supponatur, non conficit sacramentum, ex defectu intentionis. Si autem habeat intentionem conferendi sacramentum præsentis, quicumque ille sit, quamvis per errorem putet esse alium qui non est, revera sacramentum confert. Idem dicendum, si sacerdos putans se audire confessionem Petri, alterius audiat, & absolvat, & in aliis

N 2

sacra-

sacramentis similiter. Si autem queras, qualis debeat esse intentio ministri? Respondeo debere esse talem, quod absolute dirigatur ad præsentem materiam, sine limitatione aut implicita conditione non faciendi sacramentum, si persona non sit illa quam putat; quam intentionem semper adesse in ministro præsumendum est.

57. Contra hanc tamen doctrinam fieri potest hæc instantia. In matrimonio error personæ reddit sacramentum nullum; si enim quis contrahat cum Bertha, putans esse Tulliam, verum matrimonium non contrahit: Ergo idem in aliis sacramentis dicendum.

Respondeo concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia matrimonium est quidem contractus conficiens in traditione corporis in particulari & in individuo, unde error in persona est substantialis, & æqualitatem aufert, subindeque contractum nullum efficit. Nec sufficit quod detur alia uxor æque bona, quia cum hæc æqualitas non possit certo ab hominibus cognosci, maxime cum bonitas conjugis debeat esse respectiva in ordine ad alterum, merito conjuges alligant suam voluntatem & intentionem ad talem determinatam personam, quod in aliis sacramentis non contingit.

ARTICULUS III.

Virum per malos ministros validè possint sacramenta conferri?

§. I.

Varij circa hoc referuntur ac refelluntur errores.

58. Tercio post Christum natum sæculo, in Asia & Affrica cepit error aboriri, asserens non esse vera sacramenta ab hæreticis & schismaticis collata. Primus illius author in Affrica fuit Agrippinus D. Cypriani prædecessor, ut referunt D. Augustinus l. b. 2. de baptismo cap. 2. & Vincentius Lyrensis in Commonitorio cap. 9. his verbis, *Venerabilis memoria Agrippinus, Carthagenensis Episcopus, primus omnium mortalium contra universalis Ecclesie regulam, contra divinum Canonem, contra morem & instituta Majorem, rebaptizandum esse censuit, eos scilicet qui ab hæreticis baptizati essent. Eum postea secutus est D. Cyprianus, cum multis Affrica Episcopis, licet non propterea ab Ecclesia se separaverit, imò præsumendum sit (ait Augustinus cap. 8. libri citati) virum adeo fœdum, ante mortem sententiam mutasse. Cujus correctionem (inquit cap. 5.) siliiter taceant, membra clamant: si in epistolis non inveniuntur, corona martyris testatur.*

59. Donatistæ etiam olim senserunt, sacramenta à ministro existente in peccato mortali collata, esse invalida, quos postea secuti sunt Luciferiani & Albigenes. Wicliffus autem ea tantum sacramenta valida esse censuit, quæ à ministris prædestinatis conferrentur. Alij demum à malis ministris confici quidem sacramenta putarunt, sed non per ea gratiam conferri. Ut omnes isti errores confutentur, & veritas Catholica firmius stabilatur.

60. Dico breviter, peccatores & infideles validè sacramenta conficere, si adhibeant omnia ad illorum valorem requisita.

Conclusio est certa de fide, utpote definita in variis Conciliis, nempe in Concilio Nicæno ge-

nerali, ut testatur Augustinus lib. 2. de baptismo cap. 3. 4. 5. & 6. in Carthagenensi primo Concilio in Tridentino sess. 7. Can. 12. de sacramentis genere, his verbis: *Si quis dixerit, ministrum peccato mortali existentem, modo omnia officia pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathematis.* Sub peccato autem intelligitur, etiam peccatum hæresis comprehenditur. Can. 4. hoc specialiter de baptismo definit, & ait: *Si quis dixerit baptismum qui etiam datur hæreticis in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, esse verum, anathematis.*

Favet etiam perpetua Ecclesie Traditio, quæ nunquam convenit eos rebaptizare qui à ministris peccatoribus, hæreticis, schismaticis, & de gradibus baptizati sunt. Unde S. Augustinus lib. de baptismo cap. 9. inquit: *Consuetudinis roborem tenetur ovis terrarum, & hæc sola opponatur indolis voluntibus novitatem.*

Non desunt etiam ad eandem veritatem suadet congruentia & probabiles rationes, quæ adducit S. Thomas 4. contra Gentes cap. 77. Ferrariensis ejus Commentator ibidem exponit. Prima est: Ministri Ecclesie in Ordinis susceptione accipiunt potentiam ad sacramenta ministranda: Sed hæc potentia per peccatum aut infidelitatem non admittitur: Ergo peccator & infidelis retinet potestatem sacramenta ministrandi, subindeque vera conficit & ministrat sacramenta, si omnia adhibeat ad eorum valorem necessaria. Major est certa, Minor probatur. Quia alicui per consecrationem acquiritur, perpetua in ipso manet, cujus signum est, quod semel consecratum, iterum non consecratur, ut patet altari, chrismate, & aliis: Sed potestatem ministrandi accipit minister in Ordinis susceptione, cum quadam consecratione: Ergo illam nunquam amittit.

Confirmatur: Deus non aufert Principes terræ potestatem jurisdictionis, propter ipsorum crimina, hæresim, infidelitatem, & apostasiam, sed scilicet Reipublicæ status aut economiæ detrimentum vel turbetur: propter quod D. Petrus cap. 2. in prima Epistola, fideles monet, suis ut per eos dominis, non tantum piis & modestis, sed etiam discipulis: Ergo similiter rationi consentaneum est, ad gubernationis Ecclesiasticæ & fidelium utilitatem, quod Deus suis ministris peccatoribus & infidelibus, potestatem validè administrandi sacramenta non auferat.

Secunda ratio D. Thomæ sic potest proponi. Minister solum concurrat instrumentaliter ad ministrum sanctificandum, sicut & ipsa sacramenta atque adeo gratiam non conferunt propria virtute, sed virtute Dei, neque sibi assimilare intendunt effectum, sed causæ principali: Ergo ut per sacramenta minister conferat gratiam, non est necessarium, quod gratiam aut fidem habeat & contineat, sed sufficit quod sacramentum & illius effectus in causa principali contineatur.

Confirmatur primo exemplo Divi Thomæ: Ut medicus conferat sanitatem, non est necessarium illius corpus, quod est instrumentum animæ habentis artem medicinæ, esse sanum: Ergo Deus per ministrum qui est ejus instrumentum, gratiam conferat, & sacramenta conficiat, necesse est, quod minister gratiam habeat aut fidem.

Confirmatur secundò alio exemplo S. Augusti-
ni lib. 3. contra Cresconium cap. 8. Ut semen fru-
ctificet, nihil refert quod lotis aut sordidis mani-
bus seminetur, sed satis est si bonum sit, & ex se
fructiferum, & terra ad fructificandum idonea;
hoc enim posito, & Solis influxu non deficiente,
terra dabit fructum suum: Ergo quidquid sit de
sanctitate & munditia ministri, si ad sint cetera re-
quisita, verum conficietur sacramentum, gratiam
conferens.

Alio exemplo utitur idem Augustinus Tracta-
tu 5. in Joan. ut refertur in decretis causà & quæst.
2. ubi dicitur, quod *superbus minister cum diabolo
computatur, sed non contaminatur donum Christi.*
quia per illum purus fluvius transit, & venit ad fer-
rum terram. Et paulò post subditur: *Lapis ex
aqua fructum ferre non potest, & si per lapideos
canales transit ad arcolas aqua, in canali lapideo ni-
hil generatur, sed tamen hortus fructum plurimum
affert: Spiritualis enim virtus sacramenti, ut pu-
ra hæc, ab illuminandis excipitur, sed per immun-
dos transiens, non inquinatur.* Aliud exem-
plum adducit Nazianzenus orat. 40. in sanctum
Baptisma, comparat enim bonum vel malum
ministrum, sigillo aureo vel ferreo, quod eun-
dem habet effectum, sive aureum sit, sive fer-
reum.

Confirmatur tertio: Potest artifex uti ad opera
sua necum instrumento vivo & sibi conjuncto, pu-
ta manu, sed etiam inanimato & separato, nempe
mallo: Ergo similiter potest Deus homine ca-
rente vitâ gratiâ, nec sibi per charitatem aut fidem
conjuncto, uti tanquam instrumento ad sacra-
menta & eorum effectus.

Tertia ratio: Ut quis efficaciter utatur gratiâ
gratis sibi datâ, non requiritur quod habeat gra-
tiam gratum facientem, vel fidem, ut constat de
Caipha, qui licet pessimus, & scripturis de Chri-
sto, quæque miraculis credere nollet, veritatem
tamen de ipso prophetavit: Sed potestas confici-
endi & ministrandi sacramenta, ad gratias gratis
datas reducitur, quia per se ordinatur ad bonum
alterius, non verò ad bonum ejus in quo est, nisi
per accidens: Ergo illius ulus gratiam gratum
facientem vel fidem necessariò in ministro non
requirit.

Quarta ratio sumitur ex inconvenienti quod se-
quitur ex adversa sententia: si enim ad valorem
sacramenti requireretur sanctitas & fides ministri,
vix ulla esset fidelibus securitas de sua salute; sicut
enim semper essent incerti de bonitate ministri, ita
de valore sacramenti ab eo collati.

Si dicas, non minis esse fideles incertos de in-
tentione ministri, quàm de ejus sanctitate. Respon-
deo hoc esse falsum, cum enim longè facilius sit
ministro habere intentionem conficiendi sacra-
mentum, quàm sanctitatem, potest non solum ipse
minister, sed etiam recipiens sacramentum ab eo,
magis esse certus de intentione ejus, quàm de
ipsius sanctitate; sæpè enim contingit, ut qui vi-
dentur boni, mali sint, cum tamen ministrum non
habere necessariam intentionem, rarò contingat,
quia ille defectus non provenit, sicut defectus san-
ctitatis, ex difficultate illam habendi, sed ex pura
malicia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò: Leo Papa Epistolâ 77. ne-
gat baptizatos ab hæreticis sanctificatio-

nem accipere, & Ambrosius libro de his qui in-
antur cap. 4. ait quod *Baptisma perfidorum non sa-
nat, sed polluit.* Similiter Athanasius sermone
tertiò contra Arrianos, baptismum ab illis colla-
tum appellat *vanum & invalidum.* Demum S.
Thomas in supplemento quæst. 38. art. 2. docet hæ-
reticum non posse absolvere à peccatis: Ergo hæ-
retici non possunt vera sacramenta conficere, vel
ministrare.

Respondeo hæc & alia similia Patrum testimo-
nis intelligenda esse de sacramento in ordine ad
effectum principalem, scilicet gratiam, ita ut ve-
lint solum negare sacramentum ab hæreticis colla-
tum, esse validum ad conferendam gratiam, cum
enim Ecclesia prohibeat ne suscipiantur sacra-
menta ab hæreticis, consequenter qui aliquod sacra-
mentum ab ipsis recipit, hoc ipso ponit obicem
effectui sacramenti, & ideo baptismus ab hære-
tico collatus, non est validus ad conferendam
gratiam. In eodem sensu docet S. Thomas in
supplemento, hæreticum à peccatis absolvere
non posse, quia scilicet, cum accipiens absolutio-
nem ab hæretico, fictus ad sacramentum ac-
cedat, gratiam non recipit; & insuper quia
ratione fictionis, deficit illi dolor de peccatis,
qui est materia poenitentiae; & tandem quia ad
absolvendum à peccatis, ultra potestatem cha-
racteris, requiritur jurisdictio, quæ hæretico de-
ficit.

Obijciens secundò: Immundus mundare non
potest, juxta illud Ecclesiastici 34. *Ab immundo
quid mundabitur?* Sed peccator est immundus:
Ergo alios mundare non potest, conferendo illis
gratiam per sacramenta.

Respondeo ab immundo, ut à causa principali
neminem mundari, bene tamen ut ab instrumen-
tali, quia ut producat gratiam non debet illam for-
maliter habere, sed sufficit quod illam contineat
virtualiter, seu quod per virtutem causæ prin-
cipalis illam possit producere, quare ad illam pro-
ducendam non concurrat minister ut instrumen-
tum Dei & Christi.

Obijciens tertio: Christus influit in suos fideles
gratiam per ministros, tanquam per membra sui
& Ecclesiæ: Sed infidelis membrum Ecclesiæ &
Christi non est: Ergo medio ministro infideli,
gratiam non influit, nec sacramenta confert.

Confirmatur: Sacramenta habent efficaciam ex
passione Christi: Sed infidelis non continuatur
cum passione Christi, per fidem propriam, neque
per fidem Ecclesiæ, cum sit ab Ecclesia separatus:
Ergo non potest conficere sacramenta, neque ut
instrumentum Christi gratiam conferre.

Confirmatur secundò: Soli Ecclesiæ sunt data
sacramenta, & consequenter solum in illa reperi-
untur: Sed inter hæreticos vera non est Ecclesiæ:
Ergo neque vera sacramenta: non ergo ab ipsis
validè conficiuntur.

Confirmatur tertio: In nulla communitate, ab
illa expulsus potest officia communitatis tradere
seu distribuere: Sed per sacramenta imprimenda
characterem, deputatur recipiens ad aliquod offi-
cium intra Ecclesiam: Ergo hæc saltem sacra-
menta ab hæretico conferri non possunt.

Ad objectionem respondetur cum D. Thoma
hic art. 5. ad 2. Christum Dominum operari per
bonos ministros, tanquam per membra viventia
& sibi conjuncta, per malos autem tanquam per
membra abscissa & separata, potest enim vi-
vens operari per instrumentum carens vitâ, &
à se separatum, quantum ad corporis unionem,
N iij dum-

dummodo sit sibi conjunctum per quandam motionem; aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securum; per manum enim operatur tanquam per instrumentum sibi unitum & vivens, per securum autem tanquam per instrumentum carens vitâ, & separatum, quamvis ipsi per motionem conjungatur. Sic igitur Christus operatur in sacramentis per bonos, tanquam per membra viventia, per malos verò, tanquam per instrumenta carentia vitâ, & separata.

81. Ad primam confirmationem respondetur ex D. Thoma in supplemento quæst. 28. art. 2. negando Minorem, quoad secundam partem: infideles enim continuantur cum passione Christi, per fidem Ecclesiæ; quia quamvis in fide Ecclesiæ non sint, sunt tamen in ea, quantum ad formam quam in sacramentis servant, quæ est forma Ecclesiæ: sunt etiam in fide Ecclesiæ, quantum ad intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ex quo ibi intulit Cajetanus, hæreticum non conferre sacramenta, ut præcise ab Ecclesia, sed ut aliquo modo ipsi conjunctum & continuatum.

82. Ad secundam dicendum, soli Ecclesiæ esse data sacramenta, sed sacramentis Ecclesiæ & Christi, etiam extra Ecclesiam existentes uti. Et ratio est, quia instituta sunt à Christo ad conferendam gratiam, tanquam illius instrumenta, & extra Ecclesiam existentes retinent characterem, qui est potestas ad illa conficienda, atque adeo si apponatur materia & forma à Christo Domino præscripta, cum debita intentione, conficiuntur vera sacramenta, & efficacia ad conferendam gratiam, si non obstat indispositio recipientis.

83. Ad ultimum dicatur, quod si per exclusionem à communitate admittatur potestas tradendi seu distribuendi officia communitatis, vera est major, falsa autem, si cum exclusione à communitate, retineatur talis potestas: hoc autem est speciale in expulsiōe ab Ecclesia, quod per illam potestas supra dicta non aufertur, hæc enim est indelebilis, quia consistit in characterē, qui nunquam amittitur. Tenet tamen paritas, quantum ad hoc quod expulsi ab Ecclesia non possunt licite illa potestate uti, ac proinde hæretici illicitè quidem, sed non invalidè, sacramenta ministrant.

84. Objicies quartò: Actio sacramentalis sacerdotis existens in peccato mortali, v. g. consecratio Eucharistiæ, est grave peccatum, & ingens sacrilegium: Ergo non potest esse à Deo ut speciali motore: Sed si per eam validè conficeretur sacramentum, necessarium esset quod à Deo ut speciali motore procederet, cum omne instrumentum, ad attingendum effectum causæ principalis, ab ea specialiter moveri debeat: Ergo à malo ministro non potest confici sacramentum.

85. Respondeo primò, concessio Antecedente, negando consequentiam: cum enim divina motio sit præcise, ita attingit ea quæ pertinent ad lineam Entis & boni transcendentalis in actu ad quem movet, ut tamen ad ejus deformitatem & malitiam moralem nequaquam se extendat, ut fuse ostendimus, & variis exemplis declaravimus in Tractatu de voluntate Dei.

Disp. 8.
art. 4.

86. Respondeo secundò, actionem quæ minister in peccato mortali existens sacramentum conficit, posse dupliciter sumi, nimirum vel quatenus procedit à ministro ut tali, sive ut instrumento à Deo assumpto, vel in quantum procedit à ministro, non ut tali, sed ut causa principali morali. Secundo isto modo sumpta, est mala & sacrilega,

A de formali, ac proinde non est à Deo ut speciali motore, bene tamen primo modo considerata, potest bona secundum illam rationem.

ARTICULUS IV.

Utrum ministri sacramenta in peccato mortali ministrantes, semper peccent mortaliter.

§. I.

Quibusdam præmissis difficultatibus resolvitur.

PRO resolutione hujus difficultatis sciendum est, ministrum sacramentorum esse duplicem, scilicet ministrum ex officio, sive solemnizantem, & ministrum necessitatis. Primus dicitur ille, qui conficit sacramenta, speciali consecratione, etiam conficienda deputatus, qualis est sacerdos celebrans missam, absolvens à peccatis, & cum rite solemnitate baptizans. Secundus verò sine aliqua speciali consecratione & deputatione sacramenta ministrat. Est autem usus hujus ministri in Ecclesia, propter sacramentum baptizantum, quod quia est necessarium necessitate mediæ, etiam in re, respectu parvulorum ad salutem, & non possunt in quocunque casa adhiberi ministri ex officio, ut cum omni solemnitate tale sacramentum conferatur, voluit Christus ut in illis casibus, in quibus non posset adhiberi solemnitas illa à ministro consecrato, posset baptizari à quolibet sive clerico sive laico, sive fidelis, sive infidelis, sine solemnitate conferri. De propter sacramentum Baptismi, quia cum illa sacramenta non sint ita ad salutem necessaria, quatenus vel eorum effectus non est simpliciter necessarius, vel si sit necessarius, potest haberi alia via, scilicet per contritionem, ut patet de effectibus poenitentiae, nunquam possunt valide confici, nisi à ministro ex officio specialiter à ministerium divinum consecrato. Excepimus tamen matrimonium, quod quia est contractus civilis, non exigit ministrum consecratum, sed ipsi contrahentes sunt ministri ipsius. Hæc positis.

Dico primò: minister solemnitatis sacramentum conficiens vel ministrans in peccato mortali peccat mortaliter. Ita communiter Theologum cum Divò Thoma hic art. 6. exceptis quibusdam Recentioribus, oppositum ut probabile dixerunt, quos refert Martinez à Prado hisce libris 4. §. 2.

Hæc conclusio in primis probari posset multis Pontificij juris determinationibus, sed hæc sufficiunt. Prima habetur titulo de temporibus ordinandorum, capite *Quasimus*, ubi decretum Clericos inique viventes esse admoventes, & sub interminatione divini judicii obediendos, ne in seceptis Ordinibus ministrent. Aliqua sumitur ex capite *Necesse est* 1. quæ ubi Gregorius dicit: *Necesse est ut mundus manus quæ diluere sordes curat, & adducat lud hæc 52. Mundamini qui servis calceimini.*

Favent etiam SS. Patres: Dionysius enim cap. 2. Eccl. hierarchia, ait quod malis non est facere symbola, id est sacramentalia signa. Et Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 10. dicit quod omnia sacramenta, cum obsequio ministrantibus, proficiunt tamen per eos dignè sumuntur. Eos autem dicit indignè sacramenta trahere, qui

qui fidei, hoc est qui mali sunt, & in peccato, ut constat ex toto capite. Videri etiam potest Hieronymus super illud Sophoniae 3. *Sacerdotes pollutum sanctum*, relatus cap. *Sacerdotes* 1. quæst. 1. cuius sensum optimè explicat D. Thomas infra quæst. 82. art. 5. ad 1.

Potest etiam suaderi conclusio ratione D. Thomæ, quæ ex duobus sumitur, scilicet ex conditione ministri ex officio, qui debet in sanctitate conformari Deo & Christo, quorum est minister, iuxta illud Levitici 19. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*; & ex sanctitate sacramentorum, sunt enim actiones quædam sanctificatione consecratae, unde ut minister congruat ministerio, debet habere sanctitatem, alias quantum est ex se contaminat & evacuat sanctitatem illarum actionum. Unde Chrysostomus homil. 60. ad populum Antiochenum: *Quo non oportet igitur esse puriorem salutem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividendam? os quod igne spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? &c.*

Confirmatur: Cum sacramenta sint sancta sanctitate intrinsecâ & perfectâ, vasa verò sacra, sanctitate solum extrinsecâ & imperfectâ, non minor requirunt sanctitatem intrinsecam in ministro ex officio, quam vasa sacra extrinsecam: Sed tantum ex natura rei sanctitatem extrinsecam requirunt vasa sacra in ministro qui eis ex officio utitur, ut si illa sciens & volens manibus valde obsecrasset, peccet eo ipso moraliter contra reverentiam eorum consecrationi & ministerio debitam: Ergo similiter tanta requiritur sanctitas & mundities intrinsecæ in ministro ex officio sacramentorum, ut si ea cum immunditia intrinsecâ quæ sit magna, qualis haud dubie est immunditia peccati mortalis, administret, peccet eo ipso graviter.

Confirmatur ampliùs: Recipere sacramentum in statu peccati mortalis, est peccatum mortale sacrilegij: Ergo & à fortiori ipsum in eodem statu conficere: conficiens enim sacramentum altiori modo se habet ad ipsam gratiam, nimirum causans, quam recipiens, ac proinde major requiritur in illo ornatus, & maior sanctitas.

Dico secundo: Minister necessitatis, & non consecratus, ministrans in peccato mortali, non peccat mortaliter. Ita D. Thomas hic art. 6. ad 3. probaturque ejus ratione. Ministrans non ex officio sacramentum, sed ut minister necessitatis, quamvis rem sacram speciali benedictione consecratam attingat, hoc tamen non facit exhibendo se ministro Christi & Ecclesiæ: unde propterea non adhibet ritum & solemnitate ab Ecclesia præscriptam, sed solum subvenit necessitati patientis: Ergo non obligatur ad se conformandum sanctitati Christi & Ecclesiæ, sicque non peccat ministrans sacramentum in peccato mortali.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Ideo minister consecratus peccat ministrando sacramentum in peccato mortali, quia ipsi ex officio incumbit ministrare sacramenta, & per consecrationem accipit potestatem & specialem gratiam ad ea administranda: Sed nihil horum reperitur in ministro non consecrato: Ergo non peccat ministrando sacramentum.

Ex quo inferit S. Doctor loco citato, sacerdotem ministrantem Baptismum sine solemnitate, in casu necessitatis, non peccare mortaliter, etiam si existat in mortali; nam licet sit consecratus, & illi sit collata specialis gratia ad ministrandum,

se tamen tunc non exhibet ministrum Ecclesiæ, sed subvenit necessitati patienti, atque adeo consecratio se habet tunc materialiter & per accidens.

§. II.

Solvantur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Bonitas ministri solum exigitur & debetur secundum quandam decentiam ad sacramentum, ut ait D. Thomas hic art. 5. ad 3. Sed aliquid deficere actui, debitum solum secundum decentiam, non est peccatum, saltem mortale, nam actus misericordiæ vel charitatis valde remissus, à sanctissimo viro elicitus, non est peccatum, & tamen secundum decentiam deberetur illi major intensio: Ergo ministrare sacramentum sine bonitate, & in peccato mortali, non est peccatum mortale.

Respondeo cum Cajetano hic art. 6. §. *Ad hoc*, actionem sacramentalem posse dupliciter considerari: primò secundum rationem operis operati, five ut præcisè est effectio sacramenti: secundò in ratione operis operantis, hoc est ut procedat à ministro specialiter dicato, consecrato, & deputato ad sacramentorum ministerium. Licet autem status gratiæ non requiratur in ministro ad esse simpliciter actionis sacramentalis præcisè primo modo sumptæ, sed tantum ut decenter fiat; bene tamen ad esse simpliciter ipsius consideratæ in ratione operis operantis, adeo ut non solum congruum, sed etiam necessarium sit, quod ut talis procedat à ministro ex officio, existente in gratia, quia, ut supra dicebamus, minister ut secundum rectam rationem ministret, debet domino suo conformari, subindeque sanctus esse, sicut Christus, cujus est minister, sanctus est.

Dices, Cum gratia sacramentalis ex quo tota sacramentorum sanctitas desumitur, non in ministrante, sed in suscipiente recipiatur, non minor requiritur dispositio in isto, quam in illo: Sed recipiens sacramentum poenitentiae v. g. cum sola attritione, atque adeo in statu peccati mortalis, si ipsum commisit, adhuc existens, non peccat mortaliter, imò neque venialiter: Ergo nec ex officio ministrans tale sacramentum.

Respondeo negando paritatem Majoris, disparitas est, quia ministrans sacramentum habet rationem agentis, respectu gratiæ, suscipiens verò rationem patientis: nobilior autem est agere quam pati, & consequenter majorem dispositionem requirit.

Objicies secundò: Si ratio fundamentalis primæ conclusionis valeret, sequeretur Confirmationem, publicè & coram tyranno consistentem fidem in peccato mortali, mortaliter peccare, quia per Confirmationem datur ipsi potestas & specialis gratia ad sic profitendam fidem. Sequeretur insuper conjuges reddendo aut petendo debitum in peccato mortali, peccare mortaliter, quia abutuntur gratiâ sacramentali, quæ illis per sacramentum Matrimonij datur ad rectum usum illius: Sed hæc absurda sunt, & à veritate penitus aliena: Ergo nostra conclusio falso nititur principio.

Respondeo negando utramque sequelam, nam ut rectè advertit Cajetanus hic art. 6. §. *Circa utrumque*, ut peccet mortaliter minister exercens potestatem sibi per consecrationem datam, seu eliciens actum ad quem bene excrendum illi est data

data specialis gratia, requiritur talem actionem esse factivam sacramenti, vel sacramentalem, quorum neutrum reperitur in Confirmato, publice & coram tyranno proficiente fidem, aut in conjugibus reddentibus aut petentibus debitum conjugale, nulla enim ex illis actionibus est factiva sacramenti, vel sacramentalis. Utrumque ergo requiritur ad hoc ut minister peccet mortaliter in exercitio sui ministerij, nimirum quod sit minister consecratus, seu ex officio, & quod actio sit factiva sacramenti, vel saltem sacramentalis, id est ad conficiendum sacramentum ordinata, vel distributiva sacramenti jam facti; ita ut si alterum horum defuerit, peccatum mortale in exercitio ministerij sacri non committatur. Ex quo

102. Inferes primò, quod contrahens matrimonium in peccato mortali, licet peccet mortaliter, quia sine debita dispositione recipit sacramentum, non tamen quia illud administrat: ad tale enim sacramentum ministrandum, specialem consecrationem non habet. Neque obest, quod non sit alius propinquior minister illius sacramenti, ac proinde videatur minister ex officio: nam ad ministrum ex officio, hoc non sufficit, sed requiritur insuper quod ad hoc ex vi alicujus consecrationis deputatus sit.

103. Inferes secundò, sacerdotem celebrantem in peccato mortali, duplex peccatum committere, alterum quia conficit sacramentum, & alterum quia illud recipit. Imò probabile est, illum tertium peccatum committere, in quantum sibi Eucharistiam in peccato mortali ministrat; ut enim intra dicemus, probabilius est, quod ministrare Eucharistiam jam consecratam in peccato mortali, peccatum mortale est. Sed quidquid sit de hoc, certum est apud omnes, duo illa vel tria peccata sufficienter in confessione explicari, si sacerdos dicat se celebrasse in peccato mortali. Potest tamen aliquando contingere, quod sacerdos peccet conficiendo sacramentum Eucharistiae; non tamen illud recipiendo, & sibi ministrando; si nimirum, consecrans in peccato mortali, peracto sacrificio, ante sumptionem habeat contritionem; tunc enim recipiendo, & sibi ministrando Eucharistiam, non peccat; unde si hoc contingat, debet in confessione explicari.

104. Inferes tertio, ministrantem sacramentum poenitentiae, etiam moribundo, in peccato mortali, peccare mortaliter, tamen si periculum aegritudinis ita urgeat, ut tempus ad contritionem ipsi non suppetat.

Prima pars hujus corollarii certa est, & ab omnibus admittitur: poenitentia enim conferri non potest, nisi à ministro consecrato, qui semper tenetur conformari Deo cujus est minister, & sanctitati sacramenti, ut supra dicebamus. Addo, sacramentum poenitentiae tantae necessitatis non esse, quod per contritionem illius defectus suppleri non possit: quâ ratione non instituit Christus Dominus quod in mortis articulo laicus posset absolvere, sicut ipsi concessit potestatem baptizandi: Ergo sicut ad valorem sacramenti poenitentiae in omni eventu requiritur potestas per consecrationem collata, ita ad illius congruam administrationem, semper exigitur status gratiae in ministro. Unde D. Thomas hic art. 6. ad 3. postquam excusavit à peccato baptizantem in mortali in extrema necessitate, subdit: *secus autem est in aliis sacramentis, quae non sunt tanta necessitatis sicut Baptismus.*

A Secunda verò probatur contra Vazquez, ab hac generali regula excipit casum in quo ex aegritudinis periculum ita urgeat hominem, ut tempus ad contritionem ipsi non suppetat; tunc enim existimat sacerdotem in mortali existentem, potest absque peccato sacramentum poenitentiae administrare: Quia (inquit) quamvis deus sit virtus religionis erga DEUM, quamvis sit misericordia erga proximum, DEO tamen non placet, ut proximo, in cujus utilitatem tutum est poenitentiae sacramentum, sacrificium, quam ut dispositionem alias debitam habeamus.

Verum hæc ratio frivola est, & facile confutari potest: Sacerdos enim in casu posito potest utrumque præceptum adimplere, & misericordiam ministrando sacramentum egenti, & religionem administrando illud in gratia; potest enim habere contritionem peccatorum, quia contritio, ut pote actus voluntatis, quæ est potentia spiritualis, fieri potest in instanti, aut saltem in brevissimo tempore: Ergo tunc ministrando sacramentum poenitentiae in peccato mortali, sacrilegium committit.

Confirmatur: Moribundus cui in immine periculum mortis, tenetur (si non ad sit corpus Confessoris) suorum peccatorum contritionem habere, & si illam non habeat, peccat mortaliter, quousque vis tempus brevissimum sit: Ergo etiam ministrans excusari non potest ab habenda contritione; propter brevissimam morulam temporis, hæc enim potentiam ad illam habendam non aufert, licet difficile illam reddat: difficultas autem adimplendis præcepti, obligationem non aufert ab eo, absolute illud adimplere potest.

Inferes quarto, esse peccatum mortale ante confessionem in peccato mortali, tamen si ministrans habeat animum confitendi, vel habendi ad contritionem, antequam poenitentem absolvat peccatis. Nam licet audire confessiones, non conficere sacramentum, est tamen actio sacramentalis, utpote ad conficiendum sacramentum proximè ordinata: ut autem minister confectus mortaliter peccet in exercitio ministerij, sufficit quod actio quam elicit, sit factiva sacramenti vel sacramentalis, id est ad conficiendum sacramentum proximè ordinata, vel distributiva, ut applicativa sacramenti jam facti, ut supra dicebamus. Ex quo

Inferes quinto, ministrare Eucharistiam in peccato mortali, esse peccatum mortale. Locum enim hæc actio non sit consecrativa sacramenti, est tamen distributiva illius, subindeque ad modum sacramentalis.

Confirmatur ex D. Thoma in 4. dist. 24. art. 3. quæstiunc. 5. ad 4. ubi sic ait: *Quoties exhibet se in aliquo actu ut ministrum Eucharistiae mortaliter peccat (intellige si illum in statu peccati mortalis eliciat) & toties mortaliter peccat, quoties hunc actum facit: quia ut dicit Dionysius 1. capite celestis hierarchie, immunda vel symbola, id est sacra signa, tangere sui est: nec qui tangunt res sacras, quasi suo officio utuntur, peccant mortaliter. Secus autem esset si in aliqua necessitate aliquid sacrum contingere vel exequeretur, in illo casu in quo etiam laici facerent, sicut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si Corpus CHRISTI in terram proferretur colligeret. Quibus verbis S. Thomas affert, Corpus CHRISTI ex officio tangere in peccato mortali, peccatum esse mortale: Sed tangere corpus*

corpus Christi illud dispensando fidelibus, con-
venit ex off. 10 sacerdoti, ut docet idem S. Doctor
in hac parte qu. 81. art. 3. Ergo illud in peccato
mortali dispensare, erit peccatum mortale. Ratio
etiam quam insinuat, id vehementer suadet. Ho-
minem enim exercere in peccato actionem in qua
exhibet se ut ministrum Christi & Ecclesie, & ad
quam exercendam est consecratus, peccatum mor-
tale est, nisi forte ex parvitate materie veniale fi-
at: Sed in dispensando Eucharistiam exhibet se ut
ministrum Christi ad hoc consecratum, & materia
parva non est: Ergo peccat mortaliter illam in
peccato dispensando. Unde idem Doctor An-
gelicus hic art. 6. sic ait *Non est dubium quin mali
exhibentes se ministros Dei & Ecclesie, in dispensa-
tione sacramentorum peccent.*

Interes sextò, probabilius esse peccare morta-
liter Diaconos & Subdiaconos solemniter sua of-
ficia exercentes in peccato mortali. Nam licet
actiones propriæ Diaconi & Subdiaconi, quæ sunt
cantare Evangelium, & in vasis sacris preparare
materiam Eucharistie, eamque tradere sacerdoti
consecrandam, non sint sacramenta, sunt tamen
actiones sacramentales, respicientes sacramentum
Eucharistie, & ad ipsum propè accedentes, ac
specialem consecrationem in ministro exigentes.
Unde capite ultimo de temporibus ordinandorum
suprà citato, Gregorius X. sub interminatione di-
vini iudicii prohibet huiusmodi in susceptis Or-
dinibus ministrare. Excusantur tamen à pecca-
to mortali minoribus Ordinibus initiati, si in pec-
cato mortali sua officia exercent, propter parvi-
tatem materie, quia nimirum illorum ministeri-
um est mediatum, & valde remotum à sacramento
Eucharistie.

Interes septimò, Episcopos chrismâ & oleum
infirmorum in mortali consecrantes, peccare
mortaliter, non tamen cum in statu peccati mor-
talis benedicunt templa, vasa, sacras vestes, Vir-
gines Deo dicatas, vel Abbatissas.

Prima pars hujus corollarij patet ex dictis:
Consecrare enim materiam sacramenti, ut est chris-
mâ & oleum infirmorum, actio sacramentalis est,
utpote ad consecrationem sacramenti proximè or-
dinata: Sed exercere actionem sacramentalem in
statu peccati mortalis, peccatum mortale est, ut
ex suprà dictis constat: Ergo & consecrare chris-
mâ, vel oleum infirmorum. Addo quod, actio-
nes illæ pertinent ad potestatem Ordinis in sum-
mo gradu, scilicet Episcopalis, & insuper consti-
tuunt materiam sacramenti Confirmationis & Ex-
tremæ Unctionis, unde fit ut sint gravissimæ in
genere rei sacræ.

Ex quo probata manet secunda pars corollarij,
ceteræ enim actiones suprà dictæ, nec sunt sacra-
menta, nec actiones sacramentales, nec perti-
nent de jure divino, sed solum ex jure Ecclesiasti-
co, ad potestatem Ordinis in summo gradu, scilicet
Episcopalis, unde eas exercere in peccato
mortali, non est peccatum mortale. Idem dicen-
dum de prædicatione Evangelica: Prædicatio
enim verbi Dei, non est actio speciali consecra-
tione sanctificata, neque ex natura rei, aut jure di-
vino, annexa alicui Ordini sacro, cum etiam non
Clericis committi possit: unde ille qui in peccato
mortali prædicat, non peccat mortaliter, maxime
si ipsi ex officio incumbat, & cum timore & reve-
rentia id faciat, & peccatum ejus non sit publicum,
ob quod vituperetur ejus ministerium, & prædi-
catio contemnatur.

Obijces tertio contra secundam conclusionem.

Tom. V.

A in qua diximus, ministrum necessitatis & non
consecratum, ministrantem in peccato mortali,
non peccare mortaliter. In administratione sa-
cramentorum, minister, etiam necessitatis, est mi-
nister Christi ad hoc institutus, utpote cum om-
nia quæ sunt de necessitate sacramenti, ex quibus
unum est minister, oporteat esse à Christo institu-
ta: Sed minister Christi in administratione sa-
cramentorum, tenetur sub mortali conformari in
sanctitate Christo, tanquam principali ministro,
ut suprà dicebamus: Ergo minister, etiam neces-
sitatis, debet esse in statu gratiæ, cum sacramenta
ministrat, subindeque si illa ministrat in peccato
mortali, peccabit mortaliter.

B Confirmatur: Quod minister necessitatis non
teneatur sub mortali esse in statu gratiæ, quando
aliquod sacramentum ministrat, vel provenit
ex necessitate suscipientis sacramentum, vel ex
defectu solemnitis Ecclesiæ, vel quia minister
ille non est specialiter ad hoc munus consecratus,
sicut minister solemnitis, sive ex officio? Non
ex primo capite, necessitas enim suscipientis
sacramentum, non impedit quominus sancta
sanctè tractari debeant. Neque ex secundo, quia
solemnitas Ecclesiastica est accidatatoria, obliga-
tio autem sanctè administrandi sacramentum, per
se & intrinsecè oritur ex substantiali ritu, & san-
ctitate ipsius sacramenti. Non denique ex tertio
capite, nam obligatio sacramentum administran-
di in statu gratiæ, non oritur ex consecratione
ministri, sed ex sanctitate sacramenti, & Chri-
sti, debitaque ipsis reverentia, ad quam tenetur
minister, tam consecratus, quam non consecra-
tus: Ergo &c.

C Ad objectionem respondeo distinguendo An-
tecedens. In administratione sacramenti minister
etiam necessitatis est minister Christi, per se in-
stitutus, nego. Institutus ex accidenti solum, ob
urgentem necessitatem, concedo Antecedens, &
nego Consequentiam: Soli enim ministro Chri-
sti per se instituto, incumbit specialis obligatio se
conformandi in sanctitate suo principali agenti,
cujus vicem gerit, non verò ministro necessitatis,
utpote cui non tantum onus debet imponi, quan-
tum illi ad quem per se pertinet administratio sa-
cramenti.

D Ad confirmationem respondeo, neque præcisè
propter necessitatem suscipientis sacramentum,
neque ob defectum solemnitis Ecclesiasticæ,
ministrum necessitatis eximi ab obligatione exis-
tendi in statu gratiæ, quando conficit sacra-
mentum, sed ob defectum deputationis per se ad hoc
munus. Ad probationem in contrarium, dico
quod licet obligatio ministrandi sacramentum in
statu gratiæ, oriatur ex sanctitate sacramenti, &
principalis ministri, reverentiaque ipsis debita,
non tamen oritur respectu cujuscumque ministri,
sed illius dumtaxat qui per se ad hoc munus depu-
tatus est; quamvis enim uterque teneatur exhi-
bere reverentiam sacramento, & ejus Authori,
non tamen exigitur tanta reverentia à ministro
necessitatis, quanta ab alio, sed sufficit quod sine
contemptu, cum debita fide, & exteriori reveren-
tia, sacramentum administret.

E Ad complementum hujus disputationis, quæ
res primo, an licitum sit petere & accipere sacra-
menta à malo ministro?

Respondeo affirmativè, si ille sit toleratus ab
Ecclesia, & paratus ad ministrandum, tunc enim
petens & accipiens ab illo sacramentum, nō coo-
peratur peccato ipsius, sicut nec ille qui mutuum
accipit

O

accipit ab usurario jam parato mutuo dare ad usuram. Si verò ille non sit paratus, non licet ipsum inducere ad conferendum sacramentum, nisi in casu necessitatis, aut nisi minister teneatur ex officio sacramenta ministrare; quilibet enim sacerdos ex caractere tenetur in casu necessitatis, etiam si non habeat curam animarum, ministrare sacramenta ad salutem necessaria: ille verò qui habet curam animarum, tenetur ex iustitia, nedum in casu necessitatis, sed etiam propter subditorum suorum utilitatem. Unde qui inducit malum ministrum in casu necessitatis, & eum qui habet curam animarum, extra casum necessitatis, utitur jure suo, ac proinde nulli facit injuriam; & quamvis minister indeumat occasionem peccandi, in peccato ministrando, hoc tamen non intendit ille qui petit, sed solum inducit ministrum ad illud sibi præstandum quod debet, quodque posset fieri sine peccato, si ipse minister vellet penitere. Denique in casu extremæ necessitatis, licitum est recipere sacramenta à quocunque ministro, etiam non tolerato, quantumvis infideli, hæretico, vel apostata, quia Ecclesia non abstulit ministris malis facultatem administrandi in casu extremæ necessitatis sacramenta quæ fideles tenentur ex præcepto divino recipere, aliàs irrogaret injuriam divino præcepto, & supra divinam potestatem usurparet.

118. Quæres secundo, quam dispositionem teneatur habere malus minister in prædictis casibus sacramenta ministrando?

Respondeo juxta quosdam Authores sufficere attritionem, juxta alios, requiri sacramentalem confessionem; alios verò docere, attritionem non sufficere, neque necessariam esse confessionem, sed solum contritionem, saltem existimatam. Unde juxta horum Authorum sententiam, ut malus minister non peccet, sacramenta in prædictis casibus ministrando, debet facere quod in se est ad veram contritionem habendam, quamvis aliquando in re non sit contritus, sed in sua solum probabili existimatione. Et hæc sententia est verior, aut saltem probabilior aliis. Ratio est contra primam opinionem, quia sola attritio non tollit malitiam peccati mortalis, etiam in existimatione peccantis, nec consequenter indignitatem ministri, bene tamen contritio. Contra secundam verò, quia nullum extat præceptum de præmittenda confessione sacramentali administrationi sacramentorum in prædictis casibus: neque enim habetur in sacra scriptura, neque in jure, neque ex traditione, aut consuetudine colligitur, neque oritur naturaliter ex natura administrationis sacramentorum. Hinc tamen excipe sacramentum Eucharistiæ, ad ejus enim administrationem, si habeatur copia confessoris, necessario debet præmitti confessio sacramentalis, ut dicemus in Tractatu de Eucharistiæ.

DISPUTATIO VII.

De numero & ordine Sacramentorum.

Ad quæst. 65. D. Thomæ.

AD complementum hujus Tractatus, duo solum hic nobis restant explicanda, nimirum quot sint novæ legis sacramenta, & quem ordinem servant inter se, tam quoad

A naturam, quam quoad perfectionem & necessitatem. Unde sit

ARTICULVS PRIMVS.

Quot sint novæ legis sacramenta?

Circa numerum sacramentorum novæ legis Crij sunt Hæreticorum errores; alij enim unum tantum admittunt, alij duo, alij tres, refert Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 23. eorum inconstantiam in numerandis sacramentis deridet ac refellit. Sed his brevitas causæ permittit.

B Dico, septem esse novæ legis sacramenta, plura, nec pauciora.

Conclusio est certa de fide, sic enim definitur Florentino in Decreto Eugenii, & à Tridentino sess. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura aut pauciora quam septem, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiæ, Penitentiam, Extremam Unionem, Ordinem, & Matrimonium, anathema sit.* Totidem numerantur quoque Theologi extiterunt, excepto Durando, qui negat matrimonium esse sacramentum: quoniam mentiantur hæretici, qui numerum illum sacrorum excogitant, & à Concilio Florentino obtruncatum Armenis esse dicunt.

Neque Theologi hunc numerum sacramentorum velut à se inventum tradiderunt, sed eo quod in Scripturis contentum, & ex Patrum traditione acceptum. Quamvis enim in Scriptura non dicatur in actu signato esse septem sacramenta asseritur tamen in actu exercito, quatenus ea habetur, res significatas nomine Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Penitentiae, Extremæ Unionis, Ordinis, & Matrimonii, id est sacramenta, quod sic ostenditur. Sacramentum est ritus sacer, cui est annexa promissio gratiæ.

D Sed in sacra Scriptura habetur illa septem effectus sacros, quibus est annexa promissio gratiæ. Ergo ex Scriptura habetur septem esse sacramenta. Major patet, Minor probatur, diffinitio per singula. In primis enim Baptismus est sacramentum cui est annexa promissio gratiæ, sicut hæretici, & aperte colligitur ex illo Matth. 28. *Baptizantes eos, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ex illo Pauli ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vite.* De Confirmatione habetur Actuum 1. 19. per impositionem manuum Apostolorum se datum constanter Spiritum Sanctum quodcumque ipsi manus imponerent. Quod effectum fuisse infallibilem, neque Apostoli ad eum constanter hunc ritum usurpassent, sine Christi institutione, & promissione gratiæ Spiritus Sancti. Ritus Eucharistiæ habetur Matth. 26. & 1. Corinth. 11. *Accipit panem, & gratias agens, &c. promissio verò gratiæ Joan. 6. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ritus Penitentiae & promissio gratiæ simul habetur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittantur eis.* De Extrema Unctione habetur institutio ritus tertii & promissio gratiæ Jacobi 5. *Infirmum quis ex verbis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si peccati fuerint, remittentur ei.*